



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LXXX. Æneæ descensus ad inferos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM LXXX.

Æneæ descensus ad inferos.

6. *Æneid.*

Ethicè.

1. Rami aurei ab Ænea decerpti moralis significatio. 2. Columba symbolum mentis integræ. 3. Facilis descensus averni. 4. Mala Gaudia. 5. Conscientiæ tormenta. 6. Inferorum horror. 7. Iudices inferorum & Furia scelerum vindices.

Postquam ex Phrygia profugiens Æneas, classe delatus est *Cumas*, urbem Campaniæ mari Tyrrheno adsitam, nihil duxit antiquius, quàm ut *Sibyllam*, illic locorum in antro horrendo habitantem, accederet, cujus ductu ad inferorum sedes penetraret. Ingrediendi Dianæ lucum, ultro occurrit vates, promittitque se vias ad infernas plagas, atque adeò ad Patrem Anchisen visendum, demonstraturam; si tamen priùs ramum aureum in opaca quadam nemoris arbore latentem decerpsit, eumque Proserpinæ munus tulerit: esse verò hanc illius ramusculi naturam, ut avulsò unò, statim subnascatur alter, similique metallo frondescat: cæterùm caveret ferrum ad eum convellendum adhibere, cum manum carpentis sit facillimè secuturus. His instructus monitis Æneas, dum Sibylla ducente, Dianæ lucum diligenter perlustrat, sollicitèque Deos precatur:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto!

Ecce tibi geminæ sese columbæ sub aspectum offerunt, quæ volatu antecedentes, ut primùm ad lacum *Avernum* pervenere, confederunt in arbore votis omnibus exoptata, ob aureum in ea ramum refulgentem. Hic inferorum victimis immolatis, manibusque placatis, adfuit mox saceris advocata dea Proserpina seu Hecate, multis stipata canibus, horrendum ululantibus. Æneas hortatu comitis fortiter stringit gladium adversus monstra, seque præeunte vatidica duce, imperterritus immitit in antrum, per quod descensus ad inferos patebat. In ipso aditu apparent terribiles formæ, *Luctus*, *Cura*, *Morbi*, *Senectus*, *Metus*, *Fames*,

mes, Egestas, Lethum, Labor, Bellum, Faria. Præterea Centauri, Hydra, Gorgones, Chimera, Harpyia, aliæque portenta tremenda. Hinc ad Acherontem atque Cocytum, infernales fluvios (quos plurimæ hominum umbrae sepulturâ carentium circumvolabant) defertur. Charon tam cultu, quàm aspectu horridus senex, id loci Portitor est, & animarum eò confluentium Transvector. Qui ubi conspexit Æneam armatum adventantem, imperiosis facessere iussit à regnis Plutoniis. Crudum nautam jubet Sibylla metum ponere de hospite minimè malo, & cum dicto ostendit ramum aureum. Quò visò, statim placatior Charon, advertit cymbam ripæ, & Æneam, Sibyllamque transmittit. In littus expositos allatrat triceps Cerberus: quem tamen objecta ossa medicata mox in somnum dedit adeò profundum, ut in humum prostratus, toto extenderetur antro.

Custode sopito, Æneas occupat aditum Tartari, & ad interiora progressus, mira videt, auditque. In limine percipiebatur vagitus infantum, quos acerba mors in ipsis cunis rapuit innocentes, & criminis omnis expertes. Juxta hos visebantur, qui falsò accusati, damnatique fuere. Hic Minos capitalium rerum Quæstor tribunal habebat, qui diligenter ac severè examinat, quæ quisque inter mortales gesserit, vitæque & crimina discit. Proxima tenebant loca, qui sibi ipsi violentas manus intulerunt, vel tædio vitæ adacti, vel mortem præferentes turpi servituti. Nec procul inde mœsta inter myrteta, lachrymis indulgebant feminae, quæ amore partim honesto, partim turpi victæ, necem sibi consciverunt. Inter quas, longo luctu tabescebat infelix Dido, quæ amoris erga Æneam impatientiâ, gladiò per pectus transactò, se transfixit. Porrò pergentibus, virorum bellicosorum, & militarium ducum, fortiter in acie cadentium, manes se offerebant. His ita conspectis, Sibylla cum comite suo pervenit ad mœnia Tartari, triplici muro adamantino clausa, & Phlegethonte, ardente fluvio, ambita. In foribus excubabat Tisiphone Furiarum dirissima, diu noctûque pervigil, flagellis terribilis, & serpentibus armata. Hic exaudiri gemitus damnatorum, sonare sæva Eumenidum verbera, stridorque ferri, tractæque catenæ: hic Rhadamanthus durissima exercet judicia: cogitque invitos sua sceleri commissa, & quæ olim in occulto patrata, nunc palam proferre. In hos, Carnifices sunt constitutæ Furie, miseris acerbissimè insultantes, torvòsque in faciem angues intentantes; & post flagellorum sectiones, ad diriora supplicia remittentes. Hinc ad interiora delati, præ superius qualia monstra cernebant?

Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem.

Hic spectare fuit *Titanum* gentem nefariam, montes montibus imponere, & bellum movere superis ausam. Hic *Salmoneus*, rex quondam Elidis, crudeles dabat poenas, qui tonitrua & fulmina Jovis impie ac temerarie imitaturus, coelesti igne conflagravit. Hic *Tityus*, truculentus *Terræ* filius, in novem jugera porrectus, scelerum suorum dat supplicia, dum jecur ipsius semper renascens sævissimus vultur adunco rostro depascit & discerpit. Hic *Ixion* ob libidinis flagitium, volucris in nexus rotæ, circumagitur, & dilaceratur. Hic *Sisyphus* Latrociniis olim infamis cogitur perdius pernox saxum in montis verticem provolvere; quod cum ingenti labore ad summum propè extulerit, repente deorsum relabitur, & inanes conatus frustratur. Hic *Tantalo* lapis jamjam lapsurus, nunquam labens, supra caput imminet, cumque perpetuo timore exanimat. Et quanquam videatur aureo thoro regales inter epulas recumbere, juxtà tamen accubat horrida Megera;

----- & manibus prohibet contingere mensas;

Exurgitque facem attollens, atque intonat ore:

Dum canina fame stimulatam, & appositas dapes devorare cupientem, elata face, & terribili voce absterret. Hic *Belides*, quinquaginta Danaï filix, ob viros suos de nocte jugulatos, coguntur urnis perforatis aquam haurire, æternùm non implendis. Hic poenas luunt qui fraterno dissidebant odiò, quique suos parentes pulsarunt manu: qui fraudulenter circumvenerunt clientes: qui suis omnia metientes commodis, incubere divitiis, nullà suorum curâ habitâ: qui cæsi propter alienum thorum violatum: qui bella tractarunt civilia: qui patriam vendiderunt aurò: qui fidem dominis datam fefellerunt: qui leges pretio fixerunt, atque refixerunt: qui nuptias infandas & incestas inierunt. Hi omnes cruciatibus tam immanibus excarnificantur, ut nullo nec calamo, nec lingua explicari possit. In quibus *Phlegyas*, pater *Ixionis*, homo sceleratissimus, magna voce testatur per umbras:

Discite justitiam moniti, & non temere Divos.

Inter hæc gressum promovent ad ipsam *Plutonis* regiam, Cyclopium opere magnificè exstructam. In cuius porta ubi ramum aureum *Aneas* suspendit, seque lustravit aqua, longiùs procedendo, ad *Elysios* deveniunt Hortos, amoenissimas *Beatorum* Sedes, quibus sua lucent sidera, suusque Sol, à nostro multùm orbe diversus. Ibi *Orpheus* suavissima

modulatione

modulatione pulsabat citharam, cui felices accinebant incolæ, & ad numerum choreas ducebant, Præcipuè veniebant sub oculos longa serie Reges Trojani, magnanimique heroës, qui positis armis, lætum pœana in separato laurosum nemore canebant. His proximi, qui pro patria spiritum extremum effuderunt: qui singularem in vita castimoniam coluere, qui veritatis peramantes fuere: quique artes, hominum societati utiles, invenerunt: quique liberales atque officiosi, alios sui memores fecere merendo. Hi omnes ut Æneam summa voluptate perfuderunt, ita maximam peperit lætitiæ aspectus & alloquium parentis Anchisæ, in cuius amplexus ruiturum Æneam, frustravit imago, nulli obnoxia contactui. Cæterum nemus illud alluebat fluvius *Lethe*. Circa quem innumeræ volitabant animæ, quibus fato debebantur altera corpora, & ad vitam reditus: eæ avidè potabant fluminis undam, & cum ea rerum omnium oblivionem. Nam quis vellet ad corpus reverti, qui vel memor deliciarum, quibus fruebatur in Campis Elysiis, vel reminiscens molestiarum, quas pertulerat in vita, nisi amne Lethæo memoria exantlatorum laborum demersa fuisset? Denique dulcissimo cum parente colloquio ubi datum est satis, Æneas ducitur ad locum, ubi poterat videre, & agnoscere futuram sobolem, Romanamque ex ordine gentem. Edoctus igitur dilucidè de propagatione generis sui, rebûsque post longa sæcula futuris, valedixit Anchisæ, cùmque Sibylla in oras fluminis remeavit.

Ethica.

I. (a) *Ramus aureus*, Æneæ 6. Æneid.

Hic Æneæ, Trojani Principis, ad inferos, & campos Elysiis descensus, magnam nobis optimarum instructionum segetem suppeditat. Nam imprimis *Aureus ille Ramus*, quid est aliud, nisi *Prudentia*, qua duce vir fortis omnia discrimina pervadit?

----- primò avulsò, non deficit alter.

Nam per exercitationem virtus non minuitur, sed augetur. Ex *ilice*, arbore infrugifera, decus illud aureum defringitur: *virtus* enim sibi sufficit ipsa; estque sui gratiâ, non præmii, expetenda. Vnde olim corona quercina, maximum honoris ornamentum. Hanc frondem seu virgam, miratur Charon *longo post tempore visam*: quia pauci boni, paucique sapientes hac virgula divina instructi sunt; contra verò malorum stultorumque plena omnia. Intelligas etiam per *Ramum aureum* profa-

O o o 3

(a) *Ramus aureus* significat prudentiam, virtutem, nobilitatem, fortitudinem.

piam nobilem, sanguine & virtute ad posteros propagatam; ex avita stirpe, & multis trophæis ornata, *uno avulso non deficit alter*. Majorum decora per æmulos traducuntur ad posteros. Strenuitatis argumentum ab antiquis Germanis habitum est, ex auro, argenteve obtenta folia. Henricus Thuringiæ Landgravius Northusiæ decursionem militarem, seu hastiludium instituit: Bravium erat, arbor ex aureis & argenteis foliis erecta. Singulis concurrentibus & frangentibus hastas, sed in sessione permanentibus, argenteum cessit folium, si quis autem adversarium ex equo dejecisset, aureum ei dabatur. Ita Chronic. Misnense.

II. (b) *Columba Aeneæ duces.*

Aeneam ad arborem felicem geminæ duxere columbæ pravosantes. Sunt enim innocentia, mentisque excelsæ symbolum: nam aves hæ amant tecta candida, & summa domorum petunt. Lata auspicia per columbas duci, ex divinis quoque litteris discimus. ps. 67. Laudantur columbarum *penna deargentata, & posteriora dorsi aurea*. Ab argento nimirum, seu puritate vitæ, ac mentis integritate transitus est ad felicitatem auream, olim in Elysiis hortis, hoc est, in cœlo obtinendam.

III. (c) *Facilis descensus averni*, Sed revocare gradum, hoc opus, hic labor est.

Inter Sibyllæ effata, etiam hoc fuit:

----- Facilis descensus Averni;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superâsque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Quibus versibus innuitur, facilem & proclivem esse lapsum in vitia, sed difficilem reditum ad virtutem. Socrates cum aliquando in colloquium cum Theodota, meretrice famosissima, venisset, quæ Callisthenem, Socratis discipulum, blandis ad se verbis trahebat, Philosopho dixisse fertur: *Ego quidem, ô Socrates, multò te superior sum. Nam cum tu neminem ex meis à me possis abalienare; ego cum libitum est, tuos omnes à te avoco.* Cui is respondit: *Non mirum quidem hoc. Tu si quidem ad declivem tramitem omnes rapis; ego verò ad virtutem duco, ad quam arduus plerisque & insolitus est ascensus.* Nimirum corrupta hominum natura facile deflectit ad vitia, quorum lata est via; abhorret à virtutibus, ad quarum fastigium arduus & spinosus est callis. Alian. lib. 13. hist. Seneca teste, vitia & flagitia sine magistro discuntur, & ea nos ad inferos mittunt. Neque laboriosum est, descendere ad illud scele-

(b) *Columba symbolum mentis integra.* (c) *Facilis descensus Averni.*

seclerum & suppliciorum barathrum; sed revocare gradum, & referre pedem, seque à lapsu per salutarem poenitudinem recipere, *hoc opus, hic labor est.* Degustatis enim malè jucundis voluptatibus, vix ab illis divelli mortales possunt. Deinde inexorabiles sunt Tartari fores; serò pulsantur gemitu. Propert. lib. 4. eleg. 12.

Cùm semel infernas intrârunt funera leges

Non exorato stant adamante viâ.

Inexplicabilis, immensa, incomprehensibilis est poenarum aeternitas,

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos

Fecerit arbitria:

Non Torquate genus, non te facundia, nec te

Restituet pietas. Horat. lib. 4. ad 7.

IV. *Mala Gaudia.* 6. Æneid.

In Orci vestibulo qualia monstra, quàm terribilia sese objecerunt
Æneâ! Audi Poëtam.

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci

Luctus, & ultrices posuere cubilia *Cura.*

Pallentesque habitant Morbi, tristisque *Senectus*

Et *Metus*, & malè suada *Fames*, & turpis *Egestas*,

(Terribiles visu Formæ) *Lethum*que, *Labôr*que,

Tum consanguineus *Lethi Sopor*, & mala mentis

Gaudia: mortiferumque adverso in limine *Bellum*.

Ferrei que *Eumenidum* thalami, & *Discordia* demens,

Vipereum crinem vittis innexa cruentis,

Multaque præterea variarum monstra ferarum,

Centauri in foribus stabulant, *Scyllæq;* bifformes,

Et centum-geminus *Briarëus*, ac bellua *Lerna*

Horrendum stridens, flammis armata *Chimera*,

Gorgones, *Harpÿiæq;*, & forma tricorporis *Vmbra*

(d) Ubi nota, *Mala mentis Gaudia*; De quibus sacræ litteræ: *Latantur enim malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. Sic in Apulia morfi à tarantulis, continuò saltant, & tripudiant, & saltitando ac tripudiando emoriuntur. Sic cicadæ canendo & strependo vitam relinquunt, quibus S. Ambros. lib. 1. epist. 6. homines comparat voluptarios, qui sub ardore ferventium cupiditatum se mulcent cantu, sibi noxio, statimque occidunt. Sic scortator sua gaudia jactat:

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.

Immortalis erò, si altera talis erit.

Itanc

(d) *Perniciosa gaudia.*

Itane homo impurissime ac perditissime, tu ista ratione immortalitatem quæris? Quid ille avarus apud Horatium? quàm gaudet argento suo?

populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Quid Ergasilus parasitus in Captivis plauti? quàm suo ventri gratulatur, dum vadit Hegioni nuntiare adventum filii, quem in publica celoce, in portu primus conspexerat?

Jupiter supreme fervas me, measque auges opes,
Maximas opimitates, opiparasque offers mihi
Laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium &c.

[Verè Seneca Epist. 60. *Gaudium nisi sapienti contingere non potest.* Gaudio enim junctum est, non desinere, nec in contrarium verti. Omnes tendunt ad gaudium; sed unde stabile & magnum consequantur, ignorant. Ille ex conviviis & luxuria, ille ex ambitione & circumfusa clientum turba, ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sonantibus literis. Omnes istos oblectamenta fallacia & brevia decipiunt, sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam, longi temporis tœdio pensat. Malæ mentis gaudia si quisquam alius expertus est, Salomon fuit, qui de se ipso Ecclesiast. 2. *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate fruere- tur, & oblectaret se in his, quæ praparaveram.* Quid sequitur? *Cùmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ &c. vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Et loc. eodem. *Dixi ergo in corde meo: vadam & assuam delicias, & fruam bonis. Et vidi, quòd hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem: & gaudio dixi. Quid frustra deciperis?* Perfentiscunt hoc, & frustra dolent inferi, se deceptos fuisse; quorum vox lamentabilis: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitia lumen non luxit nobis? transferunt omnia illa (scilicet gaudia) tanquam umbra & tanquam nuntius percurrens.* Sap. 5. Si vis sincerè gaudere, sectare virtutem, castitatem amplectere, temperantiam cole, justitiam observa, Deum time. Audi iterum Romanum Philosophum epist. 20. & 23. Verum bonum specta, & de tuo gaude, ex te nascentibus bonis, non extra te quæritis. Et Poëta Venusinus: navibus atque quadrigis petimus benè vivere, jucundè & hilariter legere.

quod petis, hïc est;
Intus habes, animus si te non deficit æquus;

Plurice

Fltrices cura, luctus, morbi, senectus, timores, pauperies, mors, pe-
fiferi sunt fructus arboris illius, cuius pomum à protoplastis sceleratè de-
cerptum, sceleratius fuit comestum. Quæ tamen omnia non penetrant
illum animum, cui gaudium surgit ex bona conscientia, ex honestis confi-
liis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, &
continuo tenore unam prementis viam. Ita Stoicus doctè & fortiter.

V. *Monstra in limine Tartari. 6. Æneid.*

(e) Quid autem sunt illa monstra, *Gorgones, Hydra, Chimera, Harpyie*
Centauri &c. quibus Æneas strictam aciem venientibus offert? Respon-

deo, esse scelerum portenta, & inde orta conscientia tormenta, quæ tor-

quent reos in ipso Tartari vestibulo, hoc est, in illa infelicis æternitatis

vicinia, in extremo scilicet vitæ articulo, veluti quædam illarum pœna-

rum præludia, quæ mole sese immensa inferorum cruciatibus sempiter-

nis infundent. Per *Centavros* intellige libidinosos, ex homine & bestia

compositos, lascivia adhinnientes: per *Scyllam & Harpyias*, avaros ac ra-

paces: per flammis armatam *Chimeram*, feroces & iracundos: per bel-

luam *Hydra*, pigros & ignavos, velut in *Lernæa* palude natos & enutri-

tos: per *Gorgones* anguineas, & uno tantum oculo præditas, invidos &

livoris veneno infectos: per tricorpoream *Geryonem*, gulosos & in pastum

abjectos, abdominis mancipia; per centimanum *Briareum*, superbos &

ambitiosos, longè latèque cupiditates suas extendentes. Omnes hi ver-

santur in *Orci* limine; & vitiorum monstrositate, turpitudinem vitæ præ-

senti, & pœnas futuræ accersunt æternas. Contra hæc monstra strenuè

damicandum, & Æneæ gladio utendum:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

Ènse recidendum malum est, id est, non timide, non molliter, sed

generoso mentis robore resistendum depravatæ naturæ insultibus, & ad-

versus vitiorum impetus obsirmandus animus. Neque frustra dicuntur

hæc Portenta, in *Orci* vestibulo stabulari, illisque objici, qui cum Ænea

per multas difficultates ad campos *Elysios* tendunt: significatur enim, ad

virtutem, & felicitatem inde nascentem, perveniri non posse, nisi in ipso

limine, hoc est, primis malarum commotionum initiis, & aggressionibus,

strenuè repugnetur.

VI. *Fluvij infernales. 6. Æneid.*

(f) Jam terribili squalore *Charon*, *Erebi* & *Noctis* filius, cum cymba sua

futili, & infernalibus fluviiis nobis est inspiciendus. *Charon* nomen habet

à latitia, scilicet per antiphrasin, ut *Parce parcunt, Luci lucent*, fingitur

Ppp

truci

(e) Conscientia tormenta. (f) Inferorum horror.

rruci & nautico cultu, flammeis oculis, sordido amictu, cruda senectute animas corpore solutas lembo suo per tria flumina *Acherontem*, *Stygem*, *Cocytum* in Tartarum devehere, arroganti in omnes supercilio ac voce. Hinc *Æneam* procul venientem conspicatus, minaciter alloquitur, & increpat:

Quisquis es, armatus qui nostra ad limina tendis,
Fare age, quid venias: jam isthinc & comprime gressum.

Talis oratio, qualis persona, nempe nautica & inhumana. Nam apud inferos quid aliud est, quam superbia, crudelitas, horriditas? Hic nullus respectus ad nobilitatem, opes, facundiam, Horatio canente lib. 2. Od 3.

Divésne, prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper & infima
De gente, sub dio moreris
Victima nil miserantis orci.
Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur Urna, ferius, ocyus
Sors exitura, & nos in aeternum
Exilium impositura Cymbæ.

Et Od. 14. Est tristis unda scilicet omnibus,
Quicumque terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive reges,
Sive inopes erimus coloni.

Et Od. 18. ----- nec satelles Orci
Callidum *Promethea*
Revexit auro captus. hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet: hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus, atque non vocatus, audit.

Porro vestibula, quæ aditus ad *Plutonis* regiam ducit, ferreis sunt claustris atque repagulis obfirmata. Ingredientes fluvius *Acheron* excipit: post quem *Cocytus* fervet; huius æstus stygiam paludem efficit. Quibus trajectis ad *Minoem*, *Æacum*, *Rhadamanthum* accedere necesse est. *Acheron* idem quod absque gaudio: nam qui gaudio caret, is tristitia afficitur, quod per *Stygem* designatur, ἀπὸ τῆς στυγῆς, tristis, horribilis. Et quia tristitia luctui proxima, *Cocytus* additur, ἀπὸ τῆς κοκυτῆος, id est, lugere

re, plorare, lamentari. Quid autem aliud invenitur in inferorum carcere, quàm illætabilis horror, perpetuus luctus, continuus fletus & stridor dentium? In hanc denique Muscam desinunt impuræ cantiuculæ, lascivi moduli, saltatoria carmina spurca choreumata. *Va vobis qui ridetis, quia flebitis & lugebitis*; minatur servator orbis. Luc. 6. Flendi & plorandi materies erit, jactura temporis: horæ, hebdomades, menses, anni turpissimè consumpti: dilata pœnitentia, spes præcisa veniæ, janua clausa misericordiæ, sine fine crucians aternitas.

VII. *Judices inferorum, & Furia scelerum vindices.* Æneid. 6.

Procedendo cum Ænea, visamus formidabile tribunal trium Orci Judicum, *Minois, Eaci, Rhadamanthi*. Excogitarunt hos Poëtæ, quoniam imperitum vulgus non facilè intelligebat, omnes animi nostri recessus, omnèsque cogitationes Deo esse conspicuas; quando vel præmia, vel supplicia singulis pro merito tribuuntur. Hinc Quæsitores ac Tortores animarum post mortem apud inferos constituerunt, qui vel singulos confiteri sua scelera cogent, vel confessis præmia, aut pœnas, pro judicii severitate ac sententia irrogarent. Hi verò tres nominantur. De Minoë (qui fuit Cretensium Rex justissimus) Maro 6. Æneid,

Quæstor Minos urnam movet, ille silentium
Conciliùmque vocat, vitasque & crimina discit.

Est namque Prætor rerum capitalium, cui Poëta dat sortitionem, eùm *Urnæ* nominat: dat ei *electionem* Judicum, eùm dicit: *Conciliùmque vocat: cognitionem* facinorum, dum ait: *vitæque & crimina discit*. Alter Judex *Rhadamanthus*, Rex Lyciæ quondam, severus justitiæ Exactor, de quo Virgilius.

Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque, auditque dolos, subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Prius audit, postea castigat & plectit nocentes, qui flagitii quamvis occulti, comperti pertrahuntur ad tribunal, & dare coguntur pœnas criminum, quæ per omnem vitam continuârunt. His à Poëtis adjungitur *Æacus*, Rex olim Æginæ insulæ in mari Ægeo, qui propter incorruptam justitiæ laudem, à Plutone delectus est inferorum judex, ad peccata fontium discutienda, & pro meritis pœnas inferendas. Meminit eius Seneca in Hercule Furente:

Non unis alta fede Quæsitō sedens,
Judicia trepidis fera fortitur reis,
Auditur illo Gnosius Minos foro,
Rhadamantus illo, Thetidis hōc audit focer.

Meminit & Ovidius in Ægina:

----- tuasque

Æacus in pœnas ingeniosus erit.

Diximus post regiam Plutonium, & fluvios infernales superatos, ad eum deveniri locum, in quo Prætores isti tribunal exercent, qui *Campus Veritatis* appellatur, ubi nullus tergiversationi, exceptioni vel mendacio relictus est locus. Prius audiunt crimina: deinde illa castigant per Furias seu Eumenidas, quæ nocentes conscindunt flagellis, & angues minaciter in faciem intentant, malè sibi conscias mentes perpetuo exagitando, & tormentorum continua formidine excruciendo. Post verbera ad graviora supplicia mittunt, more judiciorum humanorum, in quibus à quæstione ad tormenta descenditur. Hic nota, *Rhadamantheum* iudicium dici pœnam *Talionis*, de qua Hesiodus:

Lex recta est, cùm quis patitur, quod fecerit ipse.

(g) Item accipitur pro iudicio incorrupto, quod nec muneribus nec gratia inflecti potest. Atque hoc est officium Judicis, ut nec amore, nec odio, nec cupiditate, nec timore, aut ulla mentis perturbatione à recto dimoveatur. Hinc teste Plutarcho in lib. de Iside, Iudicium imagines visebantur absque manibus; eò quòd Justitia nullis donis capiatur & clausis oculis, ne hominum vultu flectatur: nam Tullio pronuntiante, exiit personam Judicis, quisquis amicum induit. Apud Alcium symbolum integri Judicis est aqualis & malluvium cum mantili, quibus manus abluuntur, ut significetur innocentia & abstinentia à muneribus. Emblem. XXXI. Apud Ægyptios gestabant Iudices in collo imaginem *veritatis* ex Saphyro. Arcopagitæ Athenis noctu atque in tenebris causas cognoscebant; ut non dicentes, sed duntaxat, quæ dicerentur, spectarent. Sed ad Rhadamanthum ejusque assessores; videamus per quos lictores & tortores plectant crimina. Virgilius:

Continuò fontes ultrix accincta flagello

Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra

Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.

Alecto, *Megara*, *Tisiphone* Furiarum principes (quibus nomen à furore est) atrociter fontes ob conscientiam scelerum exagitant. *Erim-*
nyes

(g) Severum iudicium & incorruptum.

nyes vocantur, ab ἐφονεύειν indignari. *Eumenides* dicuntur καὶ ἀντιφρον, quasi minimè benevolæ, idcirco sic nominatæ, quòd gravissimæ haberentur scelerum vindices, ideòque illarum nomina nemo sine metu auderet proferre. Earum juxta Poëtam ferrei sunt thalami, quia animum malè sibi consciùm, ne mollissimis quidem in plumis quiescere sinunt; sed veluti in ferrea crate versant, & reverfant, & nullam partem! respirationis indulgent. Et quia omnia flagitia vel per invidiam, vel odium, vel spem alicujus commodi committuntur, hinc τίσις, ultio φόνος *cedes*, per iram & odium nascitur, idque ulciscitur *Tisiphone*. μεγάλας verò invidere vel contendere significat, ideòque scelera per invidiam commissa punit. At ἀλλήλος nunquam cessantem denotat, vel quia nunquam cessat furere, vel quia titillatio voluptatum identidem vellicat animum, & ad improbitatem allicit; in quos peccantes *Alecto* animadvertit.

Dicuntur *Noctis* filia propter inscitiam mortalium, & ignorantiam rerum futurarum. Quis enim est, qui non turpè putet, si rem diligentius perpenderit, se illa propter brevissimas voluptates committere, quæ mox æterna supplicia consequentur? aut quis non intelligat, indecorum esse homini, tanquam belluam huc illuc impuris libidinibus agitari? igitur ex ignoratione sui, nascuntur hi affectus, qui ubi in aliqua scelera homines impulerint, discruciatum animus, quorum recordatio fit instar crudelissimorum & infestissimorum tortorum. *Furijs* nihil aliud significari, ait Cicero pro *Rosc. Amer.* quàm eos, qui aliquid impiè, sceleratèque commiserint, agitari & perterreri, non *furiarum* verberibus, ac tædis ardentibus; sed angore conscientia & fraudis cruciatu: sua enim quemque fraus, inquit, & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus exagitat, amentiaque afficit; suæ malæ cogitationes, conscientiaque animi terrent. Hæ sunt impiis assidua, domesticaque *Furia*, quæ dies noctesque pœnas à sceleratis repetunt. Nimirum ex peccato carnifice, sequitur animi peccantis carnificina. Nullum majus & supplicium scelerato, ipso scelere, vix culpa est admissa, mox quies omnis est amissa. Poëtica illæ *Furiæ* adsunt domi, comitantur foris, non desinunt in lecto, saviore in tenebrarum horrore. Nullam dignitatem aut conditionem hominum reverentur. Ubique se ingerunt, & oculis obiciunt; inter epulas, ludos, hilaritates interveniunt, & quidquid latum erat, illatibile reddunt. *Lucanus* exclamat:

Heu quantum misero pœnæ mens conscia donat!

PPP 3

Domī

Domi habes tribunal, inquit D. Bernardus, accusatores, testes, iudices, tortores. Accusat te conscientia, testis est memoria, ratio iudex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum, tormentum. Cicero hoc vidit, qui pro Milone magna, inquit, est vis conscientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Et Poëta.

----- Hic murus aheneus esto

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Exempla sunt in C. Caligula, qui ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere: ad verò majora proripere se è strato, sub lectumque condere solebat. *Sueton.* Non minùs pavidi fuere Domitianus, Nero, Decius, Diocletianus, Maximianus: ipse quoque Augustinus Caesar semper, & ubique pellem vituli marini circumferebat, ne fulmine percuteretur. Et C. Julius Caesar perpetuò lauream coronam gestabat, quòd crederet, lauro cœlestem ignem averti. *Job. c. 21.* tyrannum describens: *Sonitus, inquit, terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur: non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspiciens ubique gladium.* Et *Salom. Prov. 10.* *Pavor his, qui operantur malum.*

SYMBOLVM LXXXI.

Quorundam apud inferos supplicia,

6. *Æneid.*

I.

Salmoncus fulminatus.

Ethicè.

Arrogantia plus quàm humana.

Pergamus ad eos, qui in imo Tartari scelerum suorum supplicia solvunt. In iis est *Salmoncus* Æoli filius, non regis illius ventorum, ait *Servius*, sed cujusdam *Elidis* reguli. Hic regia non contentus sorte, majestatem & honores divinos affectavit; utque Deus videri posset, pontem æneum construxit, super quem currum rotas æreis canthis obmunitas;